

re, præterquam legibus, poterat, jura dedit. Quæ ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset, cum cætero habitu se augustiorem, tum maxime Lictoribus duodecim sumptis fecit. Alii ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant cum secutum numerum putant. Me haud penitet eorum sententia esse, quibus, & Apparitores, & hoc genus ab Hetruscis finitimiis, unde sella curulis, unde ioga prætexta, sumpta est, numerum quoque ipsum ductum placet: Et ita habuisse Hetruscos, quod ex duodecim populis communiter creato rege, singulos singuli populi Lictores dederint. Nihil tamen hic differit de munere, nec verbum ullum habet de hominum genere, qui ad id muneris eligi debebant.

Ex eodem Livio discimus tamen altero in loco, nimirum dec. 11. lib. 55., liberos fuisse Lictores, non servos; et si ex ima Quiritium plebe plerunque eligerentur. Quatuor & virginis Lictores apparere Consulibus, & eos ipsos plebis homines. Cornelii Taciti temporibus e Libertis eligebantur: Annal. 13. 27. 2. quippe late fuisse id corpus. Hinc plerasque tribus, decurias, ministeria, Magistratibus, & Sacerdotibus. Quo in loco ministeria Magistratibus, Lictores, Viatores, Accensos, Scribas, Statores, Præcones, &c. Pitiscus interpretatur. Demum liberos fuisse, immo & cives, ex Cicerone habemus; quia iisdem jus togæ fuit: Togulae ad portam Lictoribus præsto fuerunt; quibus illi acceptis, sagula rejecerunt. Ita in Pisonem c. 23. Sed haec de genere, non autem de munere, dicta sint.

Munus vero non unum, sed triplex, Lictoribus a plerisque adsignatur; Submotio nimirum, Animadversio, & Prætio. Adeo submoveare Lictoribus proprium videbatur verbum, ut Submotor Aditus pro ipso